

232


K

22




Early European Books. Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 22







Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 22





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 22







DVÆ ORATIONES
IOHANNIS POLYANDRI

SS^a. Theologiæ Professoris,

DE SS^a. THEOLOGIAE

nobis in Verbo Dei revelatæ præstantia
& certitudine.

Habitæ in auditorio Thologico

*Academiæ Lugduno-Batavæ, atque in
gratiam studiosæ juventutis
evulgatæ.*



LYGDVNI-BATAVORVM,
Apud LUDOVICUM ELZEVIRIUM,
Anno clc lo cxiv.

THE CRATONIA
JOURNAL VOL. 1
DE 22 TERLOGIE

1812




*Nobilissimis & Amplissimis
Viris,*

DD. Curatoribus Academiae & Consulibus
Reipublicae Lugduno-Batavae, eorum-
que Syndico prudentissimo,

Dominis suis in Christo observandis.

Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimique Viri.

 *Q*uemadmodum ante biennium, cum
meam Professionem in hac Academia
susciperem, sacrosanctae Theologiae di-
gnitatem, sic nuper, cum in publico do-
ctissimorum Auditorum conventu Re-
ctoratum meum deponerem, ejusdem
doctrinae certitudinem paucis demon-
strare volui, partim ut pios utraque oratione ad seriam hujus
salutaris scientiae studium excitarem, partim ut alios repre-
henderem, qui hoc doctrinae genus aspernantes in alijs addis-
cendis suam terunt aetatem, & ad profana potius impiorum
hominum consilia atque exempla, quam ad sacra Dei praece-
pta vitam suam instituunt. Et quamvis mihi ob subitam
prioris meae sedis ac vocationis permutationem, variasque
ex ea consequutas occupationes, vix tantum otij fuerit, ut ea
que de utroque argumento dictu erant necessaria, praemeditari
atque in ordinem digerere potuerim, plerisque tamen Studiosis
A 2 alijs-

alijsque amicis utraque oratio supra spem & expectationem
meam sic allubuit, ut utriusque publicationem aliquoties à me
efflagitaverint. Qua occasione anceps & perquam vehemens
cogitatio animum meum aliquandiu in contrarias sententias
distraxit. Hinc etenim pudor me à tam exiguo & repentino
scripto evulgando deterruit. Illinc verò summum quo flagro
amicorum meorum postulationi satisfaciendi desiderium, me
ad illas in lucem emittendas instigavit. Quem foetum prema-
turum nonnullos alios prævertentem quos in annos premo sub-
sequentes, vestrae Amplitudini reverenter offero, tum quia
duplicem actum & confessum solennem, in quo de Sacro sanctæ
Theologiæ præstantia & veritate disserui, honorifico vestre
presentiæ splendore decorastis, tum quia peritus mihi persua-
deo, sicuti hanc sacrarum Literarum commendationem pio ve-
stro assensu approbastis & laudastis, sic vos eandem sub in-
clyto vestro Nomine typis editam, pro vestra humanitate
& benevolentia quam hæctenus erga me sum expertus, vultu
sereno aspecturos, tum denique quia has Professionis meæ pri-
mitias ex agro vestro enatas vobis in quaecunque grati ani-
mi testimonium dedicandas esse existimavi, nihilque vestre
Amplitudini magis acceptum fore judicavi, quàm si vestra
auctoritate & approbatione non minùs ad editionem, quàm
ad recitationem utriusque meæ Orationis accedente, Studio-
sam juventutē nostræ fidei atq; institutioni à vobis cõmissam,
vestro, meo ac Collegarum meorum nomine publicè adhorta-
rer, ut relictis Verbi divini contemptoribus qui illius Verita-
tem in dubium vocant, eorum tantummodò vestigijs constan-
ter

ter insistant, qui sacram Scripturam, præstantissimum Sapientie celestis beneficium, nobiscum unicè exosculantes, eam manibus suis terunt, in oculis suis ferunt, in cordibus suis conservant, in dictis factisque suis observant, omniq̃ fide, studio ac labore complectuntur. Qua mente ut plerosque in hac Academia affectos esse video, sic ipsis non possum non eam gratulari, Deumque Optimum Maximum à quo hunc pretiosissimum Sacro-sanctæ Scripturæ thesaurum accepimus, toto pectore comprecor, ut pro infinita sua benignitate, omnibus ac singulis has meas Orationes visuris, lecturis, audituris, non minus constantem, quàm sincerum sacra ipsius mandata perlegendi atque exequendi zelum inspiret, ex quo Respublica nostra Christiana saluberrimos sanctitatis fructus percipiat, nostræque posteritati relinquat. Quod meum votum, audi & exaudi, ô Deus & Pater clementissime, nostrasque lucubrationes Spiritus tui Numine atque auspicio ad solam justissimæ tuæ voluntatis normam nobis à Prophetis & Apostolis tuis propositam perpetuò dirige, ut muneris nostri functione fideliter peracta, in læta æternaque tua Tabernacula cum bonis tuis servis à dilectionis tuæ Filio Domino nostro I E S U CHRISTO recipiamur.

Ex meo Museo Calendis Martij, ANNO DOMINI CL. IO C. XIII.

Amplitudini vestræ addictissimus

IOHANNES POLYANDER,

ORATIO PRIMA,
DE SS^Æ THEOLOGIAE,

Præstantia & Dignitate.

Habita VI. Octobris, c^lo 1^o CXI,

Cum Professionem SS. Theologiæ publicè inchoaret.

Auxilium nostrum sit in Nomine Domini qui
fecit Cœlum & Terram. A M E N.



*Omnipotens & Clementissime Deus, Pater Do-
mini, ac Salvatoris nostri Iesu Christi, qui fons es
omnis sapientiæ & doctrinæ quandoquidem hîc
in tuo ac Filij tui dilecti Nomine congregati
sumus, ut de Sacro-sanctis arduis atque abstru-
sis Regni tui mysterijs nobis in Verbo tuo revelatis piè, placidè
sanctèque differamus, rogamus te ut in hoc Sacrosancto exer-
citio Majestati tuæ divinæ gratissimo nobisque inprimis salu-
tari non tantùm linguas, sed etiam aures ac singulas nostras
cogitationes ad solam legis tuæ divinæ normam dirigas, oculos
mentis nostræ summa ac tristissima caligine laborantes Spiritus
tui radijs illumines, animos nostros magis ac magis in omnem
Veritatem introducas, nostraque pectora sincero pietatis ac
charitatis fraternæ studio accendas ad Nominis tui gloriam,
Ecclesiæ tuæ ædificationem atque animarum nostrarum salu-
tem. A M E N.*



MAGNIFICE DOMINE RECTOR,
NOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE DO-
MINI CVRATORES, PRVDENTISSI-
MI D. CONSVLES AC SENATORES,
CLARISSIMI DOCTISSIMIQUE D.
PROFESSORES, REVERENDI AC VI-
GILANTISSIMI ECCLESIE CHRISTI
PASTORES, AMICI HONORATI, NO-
BILISSIMI, ORNATISSIMI DOCTIS-
SIMIQUE IUVENES,

Inter multa & magna quæ in Ec-
clesijs atque Academijs rectè do-
centium existunt beneficia, hoc
sanè præcipuum est, quòd Sacræ
Theologiæ Doctores Dei Ver-
bum orthodoxè, distinctè, ordi-
ne ac perspicuè tradunt. Nam si
nihil est Dei Patris nostri Omnipotentis, ejusque
operum cognitione probabilius, nihil nobis magis
salutare, nec aliud est Theologia, quàm doctrina
de Deo rebusque divinis in Sacra Scriptura ad no-
stram

ORATIO PRIMA,

stram salutem reuelatis, quis non videt hanc scientiam ac docendi facultatem omnium esse præstantissimam maximeque homini Christiano necessariam? Etsi enim oculorum nostrorum, quibus hunc solem intuemur, sensus est acerrimus, non melius tamen eorum adminiculo rerum spectabilium colores discriminaque iudicamus, quam Christus sol iustitiæ ac splendor Dei Patris nostri cœlestis, immo omnes sapientiæ ac sanctitatis ipsius radij sacræ Theologiæ auxilio cognoscuntur. Hæc etenim scientia sicuti certam quandam rationem ac viam continet, quid in quoque legis sit mādato ac fidei articulo perspiciendi, & quale quid sit, honestum ne factu, an turpe, verūne an falsum dijudicandi disputandique, sic certa quædam est docendi sapientia, qua singula sacræ religionis capita ad salutem necessaria a Deo tradita sunt ac constituta, cuius vis atque efficacia generi humano salutaris tam latè patet, quàm latè patet fides ac resipiscentia hominis Christiani. Propterea veteres ac recentiores Theologi varijs eam titulis exornarunt. Auctor siquidem Epistolæ ad Hebræos eam Dei Sermonem efficacem appellat, CAP. 4. VERS. 12. quovis cultro aut gladio ancipiti penetrantiolem, vsque ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumque ac medullarum pertingentem, quo ambigui sophismatum nodi discinduntur, perplexi errorum rami
rese-

refecantur, atque hominum traditiones heterogeneæ, tanquam vepres herbæque inutiles, ex agro Ecclesiæ Christianæ excinduntur. Qua de causa alij eam sapientiæ divinæ thesaurum indigitarunt, alij veritatis Magistram, quæ suos discipulos verum à falso sapientissimè docet discernere, nihilque nisi verum, nihil nisi solidis, firmis, certisque rationibus ac demonstrationibus confirmatum legitimè proponere, quæque eos in hoc sancto exercitio perpetuò tenet occupatos & sollicitos de veritate vel quærenda, vel defendenda.

Ideo D. Augustinus huic quoque scientiæ matris ac nutricis beneficentissimæ officia attribuit, cum asserit, lib. 14. De Trinitate, cap. 1. hujus doctrinæ alimento fidem nostram saluberrimam gigni, nutriri, defendi, roborari.

Hanc autem Theologiam ratione primariæ suæ causæ efficientis cum Apostolo Paulo nuncupamus sapientiam Dei πολυποίκιλον, seu multiformem in Mysterio latentem, Ephes. 3. 10. & 1. ad Corinth. 2. 7. adjuvantium verò ἐ λειτουργούντων, nempe, ministrorum verbi divini ratione, eam cum eodem Apostolo in Epistola ad Titum, cap. 1. vers. 3. definimus sermonem, quem Deus suis temporibus Iudæis ac Gentibus patefecit per prædicationem, quæ Apostolo Paulo ipsiusque adjutoribus fuit concredita, ex

B ordi-

ORATIO PRIMA,

ordinatione Domini ac Salvatoris nostri I E S U
C H R I S T I.

Materiam Theologiæ qui rectè consideraverit, is induas partes illam distribuet, nempe in *δογματικὴν* & *ἱστορικὴν*.

Ad illam partem Lex & Euangelium pertinent, id est, charitatis ac fidei doctrina: Ad hanc verò, historia de mundi creatione, de lapsu primorum parentum Adami & Evæ, varioque priscae Ecclesiæ statu, temporibus Patriarcharum, Prophetarum, Christi & Apostolorum.

A priorie materiæ suæ parte quam *δογματικὴν* nominavimus, Sacra Theologia *σωεκδοχικῶς* describitur I^{mo} capite Epistolæ ad Romanos versu 1. & sequentibus, *Euangelium Dei per Prophetas olim in Scripturis promissum, de filio Dei nato ex semine Davidis secundum carnem, declarato Filio Dei potenter per Spiritum sanctificationis & resurrectionem à mortuis, per quem accepimus gratiam ac fidei obedientiam.*

A posteriore materiæ suæ parte, nempe historica, hæc diuina scientia sic ab Apostolo Paulo describitur tertio capite prioris Epistolæ ad Timotheum versu 16. *Magnum est sine controversia pietatis mysterium Deus patefactus est in carne, justificatus in spiritu, conspectus ab Angelis, prædicatus Gentibus, fides illi habita est in mundo, & sursum receptus est in gloriam.*

Forme porro respectu sacra Theologia a Christo
veritas

veritas nominatur in Euangelio Iohannis, cap. 17. vers. 17. quoniam, scilicet, hæc nobis à Deo veritatis fonte & archetypo per spiritus sancti revelationem est communicata, atque in sacræ Scripturæ speculo proposita tãquam expressa primæ illius quæ in Deo est, veritatis imago, & secundum Dei ipsius præscriptionem omnibus modis in se tota atque in singulis suis partibus ordinata. Quô respiciens Apostolus Paulus eam nunc doctrinam vocat veritatis, quæ est secundum pietatem, in Epistola ad Titum, cap. 1. vers. 1. nunc sermonem fidelem, sanum, certum, irreprehensibilem, & dignum qui ab omnibus recipiatur, in priore Epistola ad Timotheum, cap. 4. vers. 9. & cap. 6. vers. 3.

Finis denique ratione, sacra Theologia ab eodem Apostolo nominatur scientia utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad institutionem, quæ est in iustitia, ut homo Dei sit perfectus, & ad omne opus bonum perfectè institutus per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeat salutis ac vitæ æternæ, in posteriore Epistola ad Timotheum, cap. 3. vers. 16. & 17. & in Epistola ad Romanos, cap. 15. vers. 4. Similiter ab Apostolo & Euangelista Iohanne hæc doctrina ab ipso dicitur conscripta, ut credamus I E S V M C H R I S T V M esse Filium Dei, atque in eum credentes per nomen eius vitam æternam adipiscamur,

camur, Iohan. 20. vers. 31. Ex quibus liquet sacram Theologiam reliquis scientijs, tam contemplativis quàm practicis longissimè antecellere: illis quidem ob causæ efficientis supremæ dignitatem & formæ suæ splendorem incomparabilem: His autem (ut verbis loquar Thomæ Aquinatis, part. 1. quæst. 1. Art. 5.) ob materiæ certitudinem, finemque altiorem. Sola etenim Theologia est θεόπνευστος, id est, divinitus inspirata, cæteræ verò scientiæ sunt ab hominibus investigatæ. Illa puram ac perfectam Dei sapientiam, tanquam radius, nitidissimus, hæ impuras atque imperfectas hominem ratiocinationes tanquam umbræ obscuræ oculis nostris repræsentant. Illa ex lumine sapientiæ divinæ, quæ decipi nequit, hæ verò ex luce naturali rationis humanæ, quæ potest errare, habent certitudinem. Illius denique finis est, beatitudo æterna & præstantissima hominis conditio, in qua animus ipsius plenè acquiescit: Harum è contrario finis est bonum civile angustissimis hujus vitæ caducæ terminis, saltem corporum ratione, circumscriptum.

Accedit eo quòd pleræque Philosophorum disciplinæ nimirum, Mathematica, Arithmetica, Physica, Metaphysica, homines tantùm reddant doctiores & subtiliores: sed Sacro-sancta Theologia eos præterea sapientiores ac meliores efficiat.

Nec

Nec omittendum est quòd Philosophi quidem omnia sua studia, omnes ingenij nervos, omnésque conatus ad summę illius felicitàtis, ad quam sola Theologia nos deducit, indagationem seriò direxerint: at qua in re illa quæri debeat, aut possit inveniri, nunquam intellexerint.

Philosophorum siquidem alij naturæ suæ pravitatem ignorantes, summum illud bonum, in semetipsis, id est, in suæ prudentiæ cæterarumque virtutum actione, cum Aristotele; alij de resurrectione carnis & vita æterna dubitantes, illud in hujus vitæ bonis ac voluptatibus cum Epicuro; alij denique animæ tantùm à corpore separata immortalitatem & felicitàtem post hanc vitam credentes, illud cum Platone in sola animæ sapientia, rerum optimarum contemplatione, & sempiterna cum Deo communitate posuerunt.

Nec mirum si ijs doctrina Christiana de beatitudine æterna planè fuerit incognita, quum ne suam quidem ignorantiam cognoverint, nec unquam sciverint, quæ sit vera sapientia & cognitio homini maximè salutaris, quid sit peccatum, quod ejus antidoton ac salubre remedium, quæ ratione peccatum sit fugiendum, quæ manu remedium illius amplectendum, quid sit bene ac beatè vivere, quæ denique certa rectaque via virtutis ac vitæ æternæ. Unde necessariò sequitur, Philosophos

ORATIO PRIMA,

miseros de felicitate, ignaros de scientia insipientes de sapientia, mendaces de veritate, peccatores de virtutibus olim disputasse, vanosque (vt vtar verbis Apostoli Pauli, Rom. 1. vers. 21.) factos fuisse in suis ratiocinationibus & stultos cum se sapientes dictarent: ac proinde Philosophiam absque Theologia non solum nobis esse inutilem, sed etiam perniciosam, hancque alijs omnibus scientijs propterea esse anteponendam, quod teste Apostolo in Epistola secunda ad Timotheum, vers. 15. nos sola possit sapientes reddere ad salutem per fidem, quæ est in IESU CHRISTO, qui via est, veritas, & vita æternæ, nobisque factus à Deo Patre Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, Redemptio, Consolatio, & lucrum in vita ac morte.

Quamvis hæc sint verissima ac luce meridiana clariora, quamvis tanta præterea sit Sacræ Theologiæ dignitas ac præstantia, ut sese cuivis Christiano sine ullo hederæ illicio commendare possit, plurimi tamen (proh dolor!) illius hostes in hac ægra mundi senectute reperiuntur, qui Dei veritatem in falsitatem transmutantes præcipua religionis Christiana capita suis clamoribus, calumnijs, ac convicijs per ora hominum traducunt.

Tales sunt hodie Pontificij atque in primis Monachi & Iesuitæ, præcipui Antichristi satellites, qui partim per furtiva emissariorum suorum molimina, par-

na, partim per publica sua scripta mordaci felle suffusa, rectas Domini vias invertunt, multosque per veteratoriam ad infidiosè fallendum versutiam ab ijs avertunt. Cujus Satanæ ipsiusque servorum efficacis malitiæ causas multiplices invenio, quarum prima est cœcitas ac pravitas carnis seu rationis humanæ, quæ Sacro-sancta Dei mysteria, quæ pervestigare nequit, aut contemnit, aut ludibrijs suis impetit. Propterea testatur Apostolus Paulus in priore sua Epistola ad Corinth. Cap. 2. vers. 11. hominem animale non esse capacem eorum, quæ sunt spiritus Dei, quoniam ei sunt stultitia, nec posse ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.

Secunda est impia Doctorum Romanensium perfidia, qui Laicis (prout suos auditores appellant) sicuti sacrarum literarum, sic nostrorum quoque librorum lectione interdiciunt, ne falsa dicere comperiantur, nequaquam memores æquissimæ nostrorum Jurisconsultorum sententiæ, quæ præcipit, ut non una tantummodò, sed altera quoque pars audiat.

Tertia est intolerabilis eorundem Doctorum insolentia & iniquitas, qui non solum Patrum scripta suasque putridas traditiones Prophetice & Apostolicæ doctrine exequant, sed hanc quoque Ecclesiæ auctoritati suæque virgæ censoriæ subijcere non dubitant.

ORATIO PRIMA,

Quarta est inexcusabilis multorum ignavia qui sacras Scripturas non scrutantur, sed ab aliorum iudicio pendentes, quęlibet dogmata alienis oculis semper vident atque alienis auribus semper audiunt: contrā quāmonet Apostolus Paulus in sua priore Epistola ad Corinthios, cap. 10. vers. 15. his verbis: *Vobis, ut intelligentibus, loquor: iudicate vos, quod dico.* Et Iohannes in prima sua Epistola, cap. 4. vers. 1. *Dilecti, ne cuius spiritui credite, sed probate spiritus, an ex Deo sint: Nam multi pseudo Prophetę venerunt in mundum.*

Quinta est levis variorum hominum curiositas, qui ut auribus prurientes quęlibet dogmata sibi a quibuslibet Doctoribus proposita nimis avidē arripiunt, ita ad iudicandum de rebus arduis ac spiritualibus temeratio impetu rapiuntur. Vnde sepe numero in hereses incidunt atque ex doctrina per se bona malum aliquod hauriunt. A quo vitio nos summoperē dehortatur Apostolus scribens ad Hebręos, cap. 13. vers. 9. his verbis: *Doctrinis varijs ac peregrinis ne circumferimini.* Item in Epistola ad Romanos, cap. 12. vers. 3. *Edico cuius versanti inter vos per gratiam, quę mihi data est, ne sapiat supra quā oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, prout Deus cuique partitus est fidei mensuram.*

Sexta est eorum ambitio qui omnia gerunt per contentionem & inanem gloriam, suęque persona
indi-

indignum judicant ab alijs discere aut meliora docentibus cedere & veritati locum dare. Qua arrogantia Phariseos olim laborasse narrat Iohannes Euangelista, cap. 12. versu 43. ubi scribit: *Eos gloriam hominum potius dilexisse, quàm gloriam Dei.*

Causa septima est φιλαυτία nonnullorum δοξοσόφων, qui vana scientiæ opinione inflati ad cognitionem veritatis, ut alicubi docet Augustinus, non perveniunt, quia jam se ad eam pervenisse existimant. Quod idem innuens Apostolus Paulus, 1. ad Corint. cap. 8. vers. 2. *Si quis (inquit) sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam novit, sicut nosse oportet.*

Octava est quorundam hominum versutorum φιλονεικία, qui nimium ingenio suo nitentes de qualibet materia victoriam quovis modo reportandi studio disputant, suosque errores fucosa veritatis specie exornantes, summa eos cum pertinacia defendunt: immemores gravissimæ illius commonefactionis Apostoli, quæ extat 2. ad Corinth. 13. vers. 8. *Non posse nos quicquam adversus veritatem, sed pro veritate.*

Nona est quòd nonnulli piorum Theologorum scripta cum pravis & distortis affectionibus perlegunt, nimirum, irâ, odio & præiudicio, quibus affectibus abrepti & præoccupati de rectè dictis sinistrè judicant eaque calumniosè pervertunt.

Postrema causa est Diaboli malevolentia, qui ut gloriæ Dei nostræque saluti maxime invidet, sic sacræ

C

Scri-

ORATIO PRIMA,

Scripturę arcana quę venerandam Dei Majestatem, gravissimam Verbi ipsius auctoritatē, unicum Christi sacrificium expiatorium & salutis nostrę certitudinem nobis ante oculos ponunt, omnibus rationibus obscurare atque extinguere conatur.

Sed quanto majore conatu sana fides à nostris adversarijs oppugnatur, tantò magis Deus à nobis requirit, ut in ejus defensionem animis conjunctissimis incumbamus, & non minùs fortiter, quàm prudenter pro veritate propugnemus, quę (teste Tertulliano) nihil nisi abscondi erubescit.

Quocirca cum Nobilissimi & Amplissimi viri, celeberrimę hujus Academiae Curatores venerandi, me nihil minus cogitantem ex Ecclesia Gallo-belgica præclarissimè constituta, cui Dordraci annos viginti animo prompto ac tranquillo inservivi, huc ad Sacro-sanctę Theologię professionem vocaverint, quemadmodum hæctenus in ista unicè mihi dilectã Ecclesia, sic postmodum in hac celeberrima Academia, Christo Duce & auspice, fidelis Theologi officium Deo ac sacre Theologię Candidatis præstare constitui, quod (teste Apostolo Paulo in Epistola ad Titum, cap. 1. versu 9.) in duabus hisce partibus consistit, *Ut dociles exhortetur sana doctrina, & convincat contradicentes.*

Atque ut ab aliquo themate telam meam exordiar, antequam suam literarum interpretationem aggre-

gre-

grediar, locum illum primarium de Verbo Dei, atque hac occasione arduas illas nostrorum Theologorum controversias de sacræ Scripturæ auctoritate adversus Pontificios aliosque Sophistas proximo die veneris, Deo juvante, inchoabo, meamque super hac quæstione sententiam duplici disputandi ratione sequente die lunæ confirmabo: quarum prior erit Demonstrativa, quâ doctrinam nostrorum Theologorum veram atque Oraculis Spiritus Sancti consentaneam esse paucis ostendam. Posterior *ἐλεγκτικὴ*, quæ tota in falsis & absurdis quæ adversus eam adferuntur, refellendis occupabitur.

Non ignaro jampridem clarissima Ecclesiarum nostrarum lumina accolumina tum in hac, tum in alijs Academijs atque Ecclesijs satis hanc causam tractasse, scriptaque ipsorum in eruditorum manibus assiduè versari. Sed, ut Deus Optim. Maxim. fidelem operam servi qui donis paucis instructus ea tamen ad usum Majestati suæ divinæ gratum atque Ecclesiæ salutarem transferre satagit, pro infinita sua benignitate boni consulit, sic confido pios ac benevolos auditores de varietate *τῶν χαρισμάτων* rectè institutos hæc nostra exilia, quæ omnium proborum judicio subijciemus, non planè aspernatos. Nam præterquàm quòd omnia Dei dona in universum salutaria atque Ecclesiæ CHRISTI necessaria esse intelligunt, hoc quoque compertum habent,

ORATIO PRIMA,


quòd sicuti olim in veteri Testamento ad fabricam Tabernaculi fœderis & sacrorũ vasorum, non solùm gemmis, auro & argento, sed etiam lignis & lapidibus aliisq; minoris pretij donarijs opus erat: Sic hodie quoque ad structuram Templi spiritualis, cujus vivi sumus lapides, non tantùm summorum Theologorum sententiæ, sed etiam inferiorum religiosæ meditationes Tyronum captui accommodatæ plurimùm inserviant. Qua in re, ut Dei mandato, meæ professioni, vestræque, ornatissimi sacre Theologiæ studiosi, expectationi satisfaciam, vobis omnibus ac singulis tenuem meam opellam pro modulo doni quod à Domino accepi, lubens offero, vobisque nullum à me amoris, nullum studij, nullum fidelis institutionis officium defuturum ex animo pollicèor.

Quod superest, Deum Optim. Maxim. Patrem Luminum, à quo omnis bona donatio, & omne donum perfectum proficiscitur, votis supplicibus atq; ardentibus comprecor, ut veritatem, pacem, & concordiam in hac inclyta & jam pridem florente Academia pro sua clementia diu conservet, nec ullis intestinis dissidijs quæ nobis concessit otia, turbari patiatur, sed animos docentium & discipulorum peculiari quodam veræ fidei & charitatis fraternæ vinculo conjungat, nostris conatibus ac laboribus abundè è cœlo benedicat, totamque hanc Civitatem, no-

tem, nostramque Bataviam ab omni malo tueatur ad Nominis sui gloriam, Ecclesiarum nostrarum tranquillitatem atque hujus inprimis Academię incrementum. A M E N.

Restat ut, quod honestas & æquitas præscribit, vobis omnibus ac singulis, Magnifici, Nobiliss. Ampliss. Clariss. Doctiss. atque Ornatissimi Auditores, summas gratias agam, quòd hanc meam de sacra Theologiæ dignitate & præstantia orationem tanta celebritatè ac frequentia cohonestare, meque de hoc argumento nonnihil differentem benignè & patienter audire dignati sitis. Quo equidem nomine, sicuti me totum vestræ amplitudini atque humanitati devinctum esse agnosco, sic hujus vestri favoris ac beneficij memoriam nunquam, quo ad vixero, ex animo meo deponam.

D I X I.



ORATIO SECVNDA,
DE CERTITVDINE
SS^æ THEOLOGIAE,

Habita

A

IOHANNE POLYANDRO

SS^æ Theologiæ Professore:

In Auditorio Theologico Academiae Leydensis,
VIII. Februarij. cl. l. c. XIII.

Cùm Rectoratum suum publicè deponeret.

CANDIDO LECTORI,

E Adem hinc usus sum precatone, qua in
precedentis meæ Orationis Prefatione.
Eam in secunda parte tertiæ pagellæ invenies.
Vale.



NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI D.
CVRATORES, PRVDENTISSIMI D.
CONSVLES ET SENATORES, QUI
QVE IPSIS ESTIS A CONSILIIIS ET
SECRETIS VIRI CONSVLTISSIMI,
PROFESSORES HVIVS NOSTRI ATHE-
NÆI CLARISSIMI AC COLLEGÆ
MEI VENERANDI, ECCLESIASTÆ
ERVEDITISSIMI ET VIGILANTISSI-
MI, VIRI HONORATI, CÆTERIQVE
NOBILISSIMI, DOCTISSIMI ET OR-
NATISSIMI AVDITORES:



OSTIS laudabili Majorum no-
strorum instituto in more esse
positum ut Rector hujus nostræ
Academiæ annua sua provincia
ac cura defunctus ex hac Cathe-
dra ad cuiusvis ordinis viros &
juvenes præstantissimos sermo-
nem suum dirigat, ipsosque aliqua oratione non
minùs suæ Professioni, quàm huic loco ac tempori
accommodata aliquandiu attentos detineat, prius-
quàm Leges & Statuta ab Illustrissimis nostris Do-
minis

D

minis

ORATIO SECUNDA,

minis olim omnibus ac singulis Academiae nostrae membris praescripta atque ex hoc loco aliquoties pronunciata vobis hoc die solenni ex recepta consuetudine recitentur. Qua in re ut Collegarum meorum vestigijs insistam, qui Rectoris officium ante me dextere obiverunt, non sinuosis ambagibus ab alto petitis, nec artificiosis verborum blandimentis aures mentesque vestras mihi benevolas reddere conabor, sed fretus singulari vestro favore mihi satis superque explorato, ipsam quaestionem Theologicam vestris oculis subjiciam, quam pro meo munere nunc tractare constitui.

Quaestio haec est, *An dignitas & certitudo Sacrosanctae Theologiae* (de qua ante biennium ex hoc loco disserui) an inquam, *Sacrosanctae Theologiae dignitas & certitudo firmissimis demonstrari possit argumentis*. Ad quam quaestionem omnes sani Theologi haecenus affirmativè responderunt, suamque assertionem stylo partim oratorio, partim Dialectico confirmarunt. Et quoniam ipsis plerumque res fuit cum duobus hominum generibus, quorum alij ex caecitate & verae doctrinae ignoratione ipsorum asseverationem in dubium vocabant, alij aliqua saltem S. literarum cognitione imbuti ipsis aperte contradicebant, propterea eam duplici differendi ratione stabilire voluerunt, nimirum, *διδασκαλική* & *ελεγκτική*, quarum priore dociles auditores de sua affirmationis veritate certiores red-

DE SS. THEOL. CERTITVDINE.

res reddiderunt, posteriore verò Sophistas sibi contradicentes falsi convicerunt. In qua exercitatione laudāda est Iustini Martyris, Tertulliani, Ambrosij, Eusebij, & aliorum Patrum orthodoxorum industria, qui aliquot gradus testimoniorum de dignitate & certitudine doctrinæ Christianæ collegerunt, non solum ad benevolos lectores in veritate confirmandos, sed etiam ad fastidiosos Verbi divini contemptores refutandos. Nos autem, quoniam de hac materia breviter differere instituimus, priorem tractandi modum tantum imitabimur, nostrorumque Theologorum assertionem supra recitatam didacticè confirmabimus.

Atque ut à primo probationis nostræ demonstrativæ gradu initium faciamus, quem ab *Antiquitate* Patres nostri orthodoxi olim sumpserunt, Sacra Theologia nobis hoc loco est bifariam consideranda, aut quatenus sola voce fuit prolata, aut quatenus literis insuper fuit consignata. Illam Deus primo nostro parenti Adamo & posteris ipsius usque ad tempora Mosis revelavit. Hanc Deus per Mosem aliósq; Prophetas θεοπνεύτους ac fidissimos suos amanuenses priscae Ecclesiæ Iudaicæ tradidit. Hujus autem doctrinæ per Mosem ipsiusque successores Israelitis traditæ, sive ἀρχαιολογία, id est, prima mundi & incolarum ejus historia, sive νομοθεσία, id est, Legis constitutio, sive denique promissio de Messia

ORATIO SECUNDA,

ac Redemptore nostro IESV CHRISTO rectè
 perpendatur, ex ipsa librorum Mosis cum Ethni-
 corum vetustissimis monumētis collatione, scripta
 Mosis omnium esse antiquissima facilè apparebit.
 Mosis potius, quàm aliorum Prophetarum veteris
 Testamenti mentionem facio, propterea quòd
 ipsum ex omnibus sacris scriptoribus primum esse
 existimem. Fateor Iosephum libro primo Iudaica-
 rum originum asserere rerum cœlestium scientiam
 à Sethi nepotibus ante generale terrarū orbis dilu-
 vium fuisse inventam, & ne illius memoria interci-
 deret, in duabus columnis, una lapidea, altera late-
 ritia inscriptā ac postoritati relictam. Fateor quoq;
 Augustinum, lib. 18. de Civitate Dei, cap. 39. inficia-
 ri literas Hebraicas cœpisse à Lege per Mosem data,
 eundemque affirmare linguam Hebræam cum suis
 literis, ut ipsius utar verbis, per Abrahami & alio-
 rum Patrum successionem fuisse custoditam, atque
 ipsum Mosem grammatum Isagogos constituisse,
 qui docendis literis præessent, priusquàm Israelitæ
 divinas literas ab ipso didicissent. Fateor denique
 Tertullianum libro de habitu muliebri asseverare
 scriptum Enochis vatis antiquissimi ac Patris ab
 Adamo septimi à Noacho ipsius pronepote in arca
 fuisse conservatum, & post cataclysmum primo ge-
 neri humano immissum à Semi familia Patriar-
 chis traditum atque à Sacerdotibus Aaronicis fide-
 liter

liter servatum, ad manus Iudæ aliorumque Apostolorum pervenisse, sed tandem Iudæorum malitia fuisse suppressum ob illustria de Christo ac iustissimo ipsius iudicio testimonia, quæ Christi discipuli ex isto libro ad Iudæ Apostoli imitationem producere potuissent: Verum enimverò cū id ipsum ex incertis habeant Hebræorū cōjecturis ac traditionibus, equidem indubitato sacræ Scripturæ divinitus inspiratæ testimonio niti malo: ex quo testimonio nobis certò cōstat sacram Theologiam primùm à Mose, deinde ab alijs Prophetis fuisse conscriptam, non tantùm iussu Dei Opt. Max. qui Verbi sui canonem literis mandari voluit, sed etiam ipsius exemplo quod Mosi præbere dignatus fuit, cū Decalogum tabulis lapideis digito suo inscripsit.

Hic Moses, attestante Tertulliano in suo Apologetico adversus Gentes, Homerum annis quingētis antecessit, tametsi hujus poëmate, nihil apud Græcos fuisse antiquius scribat Iosephus libro 1. adversus Appionem. Idem Moses Orpheum & Linum Homero antiquiores, nec non Mercurium Philosophorum Ægyptiorum principem anteivit. Septem præterea Græciæ sapientes post Esaiam aliósque Prophetas, quos Majores appellamus, Socratem verò atque ipsius discipulos post minores Prophetas ipsumque Malachiam vixisse, haud eos latet qui priscos Græcorum annales accuratiùs evolverunt.

ORATIO SECUNDA,

Et quamvis multa scripta antiquissima ubique locorum reperiantur, nulla tamen extant in toto genere humano præter Mosis & aliorum vatum Hebræorum volumina, quæ memoriam rerû omnium à DEO conditarum, atque annorum seriem continuam ab ipso mundi primordio usque ad CHRISTI adventum verè & perspicuè demonstrant. Id ipsum Eusebius aliquot historicorum auctoritate confirmat, lib. 10. de preparatione Evangelica, atque imprimis Africani qui de Græcis historijs differens, omnia ait in ijs esse plena cõfusionis & discrepantię, nihilq; in ijs certi ante initium Olympiadum recitari, quæ si ab Alexandro Magno, qui tertia natus est Olympiade, retro numerètur, animadvertemus eas Anno secundo Iothami, qui avus fuit pij Regis Ezechiaë, à Græcis fuisse inchoatas. Quò respiciens, *Quicquid* (inquit idem Africanus) *apud Græcos vetustate excellit, id omne longo intervallo Mosem sequitur.* Etsi verò Herodotus, quem Cicero libro 2. de legibus Patrem historię appellat, suam historiam ab ipso Cyro Persarum ac Medorum Rege auspiciatur (de quo Esaias alijque Prophetæ multa sunt vaticinati) ingenuè tamen hic Græcorum historiographus, ea quæ Persicam Monarchiam antecesserunt, magna ex parte esse incerta ac fabulosa confitetur.

Ad νομοθεσίαν, hoc est, legis constitutionem quod attinet, quemadmodû Strabo libro Geographië 16. triplicem

triplicem legē Mosaicam, moralem, ceremonialem ac politicam omnium quę sunt in orbe terrarū antiquissimam esse attestatur, sic Eusebius narrat lib. 11. præparationis Euangelicę Platonem Mosis stylum in libris suis de legibus imitari, hoc tamen annexo discrimine, quod Platonica scripta Mosis Pentateucho non tantum aliquot seculis, sed etiam veritate atque auctoritate sint inferiora. Idem agnoscit Numenius & Porphyrius lib. 4. adversus Christianos, qui hoc præterea nomine Mosem laude dignum iudicat, quod Iudæorum historiam verè conscripserit. Quid, quod Diodorus Siculus se quoq; ab Ægyptijs summis Israelitarum hostibus accepisse fatetur, Mosem omnium primum fuisse Legislarorem, & tanquam Deum ob Dei cognitionem vitęque integritatem à populo Iudaico veneratum? Quod & ab Appione Grammatico capitali Iudæorum adversario, nec non à Ptolomæo Mendefio Ægyptiorum Sacerdote alijsque Ethnicis scriptoribus confirmatur, ad quos ij, hoc incredulo seculo, sunt ablegandi, qui Tertulliani, Iustini Martyris, Eusebij, aliorumq; Patrum orthodoxorum testimonia fide dignissima in dubitationem adducunt. Bellum Argonautarum & Troianum in rebus ultimę & profundissimę antiquitatis ab Ethnicis scriptoribus annumerantur, sed si annorum series quam ipsi Gręci tradiderunt, à nobis examinetur, atque ipsorum narratio cum

D 4

sacrarum

ORATIO SECUNDA,

sacrarum literarum historia conferatur, reperiemus cum Tertulliano Mosem mille circiter annis bellum Troianum antecessisse, Herodem verò cæterosque Argonautas Regi Davidi fuisse coætaneos. Ut paucis cum Tertulliano & Iustino absolvam, atque utriusque loquar verbis, *Unius Prophetæ scrinium* (inquit Tertullianus) *in quo thesaurus videtur collocatus totius Judaici Sacramenti, multis seculis vincit omnes veterani cuiusque Ethnicorum styli materias, origines, ordines, Gentes, etiam plerasque urbes insignes Historiarum & memoriarum causas, imò ipsos quoque Gentium Deos, ipsa templa, ipsa oracula & sacra.* Similiter Iustinus Martyr & Philosophus in sua pro Christianis apologia ad Antonium pium Imperatorem conscripta, *Moses* (inquit) *est omnibus Græcis scriptoribus antiquior, & quæcunque Philosophi vel Poëtæ de animæ immortalitate, de pænis post hanc vitam, & de consideratione dogmatum cœlestium scripserunt, ea tanquam semina pietatis à sanctis Prophetis atque imprimis à Mose sunt mutuati.*

Hoc argumento ab antiquitate S. Scripturæ desumpto Doctores priscae Ecclesiæ tanquam palmario in suis adversus Ethnicos disputationibus propterea utebantur, quòd illud tanto apud ipsos Ethnicos ponderis ac momenti putaretur, ut hoc axioma Theologicum ipsis olim à Tertulliano propositum approbare non dubitaverint, *Id* (scilicet) *verum esse quodcunque primum, id è contrario esse adulterinum,*
quod

DE SS. THEOL. CERTITVDINE.

quodcunq; est posterius. Ad cuius rei confessionem idem Tertullianus ipsoꝝ Ethnicorū adducit cōscientiam, quū ait in suo aduersus ipsoꝝ Apologetico: *Primam instrumentis auctoritatem summa antiquitas vindicat. Apud vos quoq; Religionis est instar fidem de tēporibus asserere.* Quā verē Tertullianus hanc sententiam ipsis etiam Gentibus adscripserit, nō dignior alius arbiter, nec melior testis, quā Cicero in quēstionibus suis Tusculanis, ubi animæ asserens immortalitatē, assertionis suæ veritatem argumento probat ab antiquitate deducto, his verbis, *Ad obtinendam hanc sententiam auctoribus uti possumus, in primis q; antiquitate: quæ quo propius ab erat ab ortu & divina progenie, eo melius quæ erant vera, cernebat.* Atq; optimo sanē jure prisca Theologi hoc argumento aduersus Gentes gloriabantur. Cū enim mendacium nihil aliud sit quā deflexio à veritate, hanc illo nō solū natura & ordine, sed etiam tempore priorem esse Patribus nostris necessariō ab hominibus sana mente præditis erat largiendum.

Quod observatu dignum arbitror, partim ut hoc Patrum antiquorū argumentum nō tantū Ethnicorum approbatione, sed rationis quoq; ductu & assensu niti videatis, partim ut de nonnullorū Pseudochristianorū impietate apud vos cōquerar & deplorē, in quibus plus quidē scientiæ, sed multo minus cōscientiæ quā in veteribus Christianis, & multo minus humanitatis ac reverentiæ erga sacram Scri-

E

pturam,

ORATIO SECUNDA,

pturam, quam in priscis Gētibus vera Dei cognitione destitutis inuenio. Postquā Ptolomeus Rex Ægyptiorū Philadelphus cognominatus, aliquot cētena librorū millia ex toto orbe terrarū collegisset, tanti S. Scripturam ex sua antiquitate æstimavit, ut nullis parferit sumptibus ad suam Bibliothecam illius exemplaribus exornandam. In quem finem cū ab Eleasare summo Iudæorum Pontifice septuaginta duos Interpretes pietate & eruditione præstantissimos impetrasset, qui sacra Biblia ex lingua Hebræa in Græcam transferrent, ipsos Bibliorum translatione fideliter peracta supremis decoratos muneribus domum remisit. Id factum fuit circa annum 280. ante Salvatoris nostri IESV CHRISTI adventum, non sine singulari Dei Providentia & φιλανθρωπιδί, qua beatissimum sapientiæ suæ cœlestis thesaurum soli Ecclesiæ Iudaicæ aliquandiu conceditum, cum Patribus nostris olim barbaris ac profanis Gentibus tandem communicavit, ut Græcæ versionis multis olim Nationibus notissimæ beneficio Majores nostri ad salutarem Mysteriorū ipsius cognitionem pervenirent. Quis nescit D. Hieronymum atque alios Patres orthodoxos, quos brevitatis gratia silentio prætereo, sacram Scripturam ob supremæ antiquitatis auctoritatem in cœlum laudibus suis extulisse, eam omnibus alijs scriptis ab omni ævo in lucem emisissis prætulisse, omnesque ingenij

ingenij ac calami sui nervos in linguę Hebręæ interpretationem. (quam nonnulli ab ipsis Iudęis didicerant) intendisse, ut divinę doctrinę semen diversis suis translationibus longę lateque sparsum ac singulis penę populis in lingua sua vernacula traditum uberrimum beatę segetis fructum ubique terrarum in hominum pręcordijs proferret? Quis nescit domesticos Ecclesię primitivę varias sacrorum Bibliorum versiones sibi à Patribus oblatas summa cum veneratione suscepisse, earumque medullam assidua lectione & meditatione in intima pectorum suorum penetrabilia admisisse? Cum quibus quotiescunque plerosque nostri seculi Christianos comparo, toties mecum indignor ac cogito, Vbi nunc est prisca Majorum nostrorum pietas? Vbi antiquitatis sacrarum literarum veneratio? Hęc tempora, proh dolor! alios nobis homines, alia studia, alios mores produxerunt. Haud paucis, quippe, notum est in quorundam Bibliothecis amplissima librorum supellectile instructis nullum esse sacrę Scripturę locum, nullum in quorundam Musęis & familijs illius usum, nullam denique in familiaribus colloquijs illius fieri mentionem, nisi inter pocula, scommata & dicteria, quibus res sacrę ac serię in sales facetisque profanas conversę quorumlibet derisorũ sannis & ludibrijs exponuntur. O detestandam venerandę sacrorum Bibliorum an-

ORATIO SECUNDA,

tiquitatis aspernationem! O exitialem Verbi divini profanationem! cuius ipsum etiam Diabolum nunc suppudeat, qui licet tēporibus Christi, & Apostolorū interdū Prophetarū oraculis abusus fuerit, longè tamē maiore cū reverentia de ijs differere voluit quàm nonnulli qui hodie Religionem Christianam nobiscum profitentur. Obstupescite super hoc, ô cœli! horrescite & desolamini vehementer.

Sed his sacræ paginæ contemptoribus valere iustis, ad secundum progredior argumentorum gradum nostræ Theologiæ dignitatem ac certitudinem demonstrantium, qui verissima Prophetarum & Apostolorum vaticina complectitur de serie quatuor Monarchiarum à Propheta Daniele descripta, de primo & secundo Redemptoris nostri I E S U C H R I S T I adventu, de triplici exinanitionis & exaltationis ipsius gradu, de Gentium vocatione ad Sāctorum communionem, de Antichristi revelatione aliisq; similibus mysterijs quæ Deus Ecclesiæ suæ patefacere voluit. Nam, ut de reliquis sacrorum vatum prædictionibus nunc taceam, omnibus ac singulis ipsorum vaticinijs tam de conditione & familia, quàm de tempore & loco nativitatis Mediatoris nostri Iesu Christi ipsum eventum respondisse, non minùs Ethnicorū, quàm Christianorū historiæ attestatur. Nimis longū molestūq; foret, *doctissimi & humanissimi auditores*, omnia documēta enumerare quibus certissima veritas singulorum oraculorū de Christi nati-

DE SS. THEOL. CERTITVDINE.

nativitate & duplici ipsius statu in hac vita, ostendi possit. Quocirca cetera vaticinia prætereuntes, diem duntaxat modumq; incarnationis Iesu Christi olim à Iacobo Patriarcha prædictum in Natalis Domini imperrimè à nobis celebrati memoriam paucis expendamus.

Cùm Iacob Patriarcha ad vitæ suæ exitū à Deo vocaretur, futuros post aliquot secula diversarū rerum exitus qui a nulla creatura prospici poterāt, duodecim suis filijs prædixit, ac nominatim quarto suo filio Iudæ plus quā mille & septingētis annis ante christi incarnationē, *Nō ablatū iri ab ipso sceptrū, nec legislatorem è medio pedū ejus donec veniat Scilo*, id est, ad verbum, *secundæ ejus*. Qua phrasi sanctus Propheta magnū hoc pietatis mysteriū Filio suo Iudæ revelavit, Messiam, scilicet, sola Spiritus sancti virtute in mulieris utero, secundarum nomine Metonymicè significato, absq; ullius viri adminiculo cōcipiendū, sub illud tempus ex ea nasciturū quo regia & judicialis auctoritas tribui ipsius penitus eriperetur. Hujus prædictionis cū suo eventu congruentiam Matthæus & Lucas Evangelistæ nobis quasi digito cōmonstrant, cū ille regnante in Iudæa Herode Antipatri Idumæi filio, hic Cæsare Augusto Monarchiam suam Iudæorum atq; incolarum totius mundi descriptione confirman- te Salvatorem nostrum Iesum Christum nobis natum esse commemorat. Si quis vestrum Patres orthodoxos hanc Evangelistarum narrationem pijs
 E 3 suis

ORATIO SECUNDA,

fuis Commentarijs atque annotationibus illustrantes audire desiderat, *Jacob Patriarcha* (inquit) *Iustinus Martyr* in suo sermone quem olim cum *Thryphone Iudæo* habuit ac postea scriptis prodidit, *Jacob* (inquit) *Patriarcha* duos *Christi adventus* prædixit & in primo ipsum fore passibilem, postq; eum nec *Prophetam* ullum vos habituros, nec *Regem* qui *vestri* sit ordinis. Certè non estis tam impudentes, ut negare audeatis *Prophetas* & qualescunque *Principes* nunquam vobis defuisse usque ad *Christi adventum*: sed postquam *Christus Dominus* in *Gente vestra* exortus & necatus est, nunquam *Prophetam* habuistis, nec habetis, imò ne *Regem* quidem proprium. Et *Chrysostomus* in sua demonstratione adversus *Gentes*, Quòd *Christus* sit *Deus*. *Scriptura* (ait) etiam tempus manifestavit quo *Christus venturus* erat, dicens, *Non deficiet Princeps ex Iuda*, Nam tunc comparuit cum jam deficerent principes *Judaici* & *Sceptris Romano-*rum subderentur. Nec non *Augustinus* lib.18. *De Civitate Dei*, cap.45. *Herodem*, inquit, *Judæi Regem alienigenam* habere meruerunt, quo regnante natus est *Christus*. Jam enim venerat plenitudo temporis *Prophético spiritu* significata per *Jacobum* dicentem, *Non deficiet Princeps ex Iuda*. Non enim defuit *Judæorum Princeps* ex istis *Judæis* usq; ad istum *Herodem*, quem primum acceperunt alienigenam *Regem*. Quo respiciens *Theodoretus* ultima in *Genesin* quæstione ibidemq; *Iacobi vaticinium* explicans, *Adventus* (inquit) *Domini indicium est clarissimum*.

DE SS. THEOL. CERTITVDINE.

*mum. Cum enim Christus nasceretur, defecerunt Judæo-
reges, Principes Sacerdotum & Prophetæ, Regesque Iudæis
ex alia tribu imperabant. Idipsum Eusebius, libro 1.
cap.6. apertius indicat, cum ait, Eodem tempore cum
Herodes extero & peregrino genere ortus Judaicæ Gentis Re-
gnum obtinisset, prædictio Iacobi, Non deficiet Princeps de
Iuda, finem videbatur consecuta. Tantisper enim prædictio
illa eventum non habuit, dum sub Principibus ex ea Gente
prognatis potestas esset, qui quidem initium imperij ab ipso
Mose capientes usque ad Augusti regnum duraverunt. Sub
cujus imperio Herodes primus externæ Gentis stirpe procrea-
tus, Judæorum principatum à Romanis adeptus est: ad quem
cum pervenisset Regnum Iudæorum, pro foribus jam is adesse
sentiebatur secundum Prophetæ oraculum qui futurus esset
Gentium expectatio: quippe ex illo tempore Principes qui suc-
cessione usque ab ipso Mose derivata Iudæorum potirentur
imperio, deficere ac prorsus evanescere videbantur. Nam
ante captivitatem Babylonicam gens Iudaica subiecta fuit
Regibus, ante Regum verò tempora Iudicibus, post reditum
autem ex captivitate Babylonica, Pontifices summam rerum
administrarunt usque ad Herodem: ex quo tempore Princi-
pes & Duces ex Iuda, hoc est, ex Judæorum familia & Gen-
te prognati Rempublicam illam regere destiterunt: atque hoc
ipso tempore advenit promissus à Deo Messias Salvator no-
ster, ut in eo completam esse Prophetiam Iacobi dubitari nullo
modo possit.*

Reliqui gradus dignitatem & certitudinem do-

ORATIO SECUNDA,

doctrinæ nostræ Christianæ declarantes, sumuntur à Prophetarum & Apostolicorum scriptorum *παν-
αρμοσία*, seu universali convenientia, à venerabili doctrinæ in ijs comprehensæ gravitate ac sublimitate, à miraculorum stupendorum multitudine, quibus Deo hanc doctrinam confirmare placuit, à constantissima verorum Martyrum confessione, qui hanc doctrinam suo sanguine obsignarunt, à perfectissima hujus doctrinæ sanctitate quæ in nostri tum erga Deum, tum erga proximum officij descriptione purissima relucet: ab admirabili Spiritus sancti virtute, qua impios hanc doctrinam audientes ad pietatis studium convertit, & calamitosos in acerbissimis ipsorum doloribus efficaciter consolatur, ab odio perpetuo & capitali quod Diabolus pater mendacij & princeps tenebrarum unà cum filijs hujus mundi in hanc doctrinam indes patefacit, ac denique ab invicta ejusdem doctrinæ adversus innumeros Diaboli mundique impetus defensione, & justissima eorum punitione qui eam aut contempserunt, aut illius arcana in ludibrium verterunt, aut ea corrumpere & suppressere conati fuerunt. Horum octo graduum qui supersunt illustrandi, perspicuam demonstrationē, ne vestra abutar patientia, in aliud tempus, si Deo placuerit, reservabo.

Interim sicuti de antiquitate sacræ Scripturæ, sic
etiam

etiam de evidentissimo omnium rerum non minùs Angelis , quàm hominibus impervestigabilium compleméto Patres nostros orthodoxos olim optimo jure & summo cum fructu apud Ethnicos gloriosos fuisse duobus argumentis confirmabimus: quorum primum est quòd ipsimet Philosophi disciplinarum suarum certitudinem ex mutua prædictionum & eventuum convenientia interdum demonstrent. Mathematici enim, ut alia exempla nunc omittam, nullo argumento frequentius utuntur, ut suam Astronomiam veram esse scientiam, populo indocto atque incredulo persuadeant, quàm quòd Ecclipsium prædictionibus ipsi eventus & temporum intervalla exactissimè respondeant, omnesque ex contemplatione τῶν φαινομένων convincantur, quòd Astronomi anniversarijs suis præfinitionibus non tantùm singulos annos, sed etiam menses, hebdomadas, dies, horas & ipsa durationis Ecclipsium minuta verè prænuntiant. Quocirca si ex hac unica verè prædictionis experientia, Mathematicam scientiam non omnino falsam aut incertam esse rectè colligimus, quanto melius ex innumeris innumerabilium vaticiniorum per totum sacræ Scripturæ corpus sparforum atque ad exitum suum multis ante annis denunciatum verissimè perductorum experimentis concludimus, nostram Theologiam non esse fabulam arte compositam,

F

nec

ORATIO SECUNDA,

nec scientiam ab hominibus inventam, sed providam rerum futurarum cognitionem ab ipso DEO rerum omnium præside ac veritatis parente utriusque Testamenti verbis inspiratam?

Alterum argumentum est, quòd nemo, præterquam DEVS infinita sapientia præditus, res longo post tempore eventuras certò præscire ac prædicere possit, ut patet ex hac Prophetæ Esaiæ apostrophe, tum ad idolorum cultores, tum ad ipsa idola quæ prisca idolatræ tanquam Numina divina venerabantur. Idolorum siquidem cultores sic Esaias alloquitur, cap. 41. versu 21. *Producite causam vestram, proponant & indicent nobis, (nempe idola vestra) ea quæ sunt obventura.* Deinde ad ipsa idola sermonem suum convertens, *Quæ eventura sint in posterum indicate, ut cognoscamus vos esse DEOS.* Idem Propheta DEVM propterea sic loquentem introducit, cap. 44. versu 2. *Quis sicut ego qui narret quod præterijt annuncietque & ordinet illud ex quo disposui mihi populum æternum, ut futura & quæ eventura sunt illis indicentur?* Vnde illud necessario consequitur sola DEI Israël oracula vera esse & certa, reliquorum verò DEORVM quos Ethnici adorant, falsa & incerta. Cui rei testimonio sunt ambigua Apollinis oracula vobis nota, quibus Cræsum olim fefellit & Pyrrhum in suspensio reliquit, cùm Cræso ipsum consulenti antequàm bellum adversus Persas susci-peret, sic respondit,

DE SS. THEOL. CERTITVDINE.

dit, *χρόισ* & *ἀλην* διαβάς, μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει, id est, Cræsus ubi Halyn, *fluvium*, transierit, magnum regnum dissipabit: Et Pyrrho Regi Epirotarum adversus Romanos belligeraturus, *Aio te Æacida Romanos vincere posse.*

Harum & similibus ambiguitatum duplicem causam recenset Porphyrius scriptor Ethnicus & pertinacissimus Christianorum inimicus, rerum, scilicet, futurarum ignorationem & conjecturam. Illam Apollini in tractatu suo de responsis & oraculis expressè attribuit, quum ait Apollinem quibusdam responsa sua interdum denegasse, propterea quòd ex astris res ipsis eventuras prævidere non posset. Hanc verò omnibus Gentium Dijs adscribit, quum idem narrat eos non per veram divinationem, sed per divinationum conjecturas ex rebus naturalibus atque ex stellarum motu & conjunctione desumptas aliquando res futuras prædixisse. Istis ambiguitatum causis *Oenomaus* celebris quondam apud Græcos orator & Philosophus duas alias adjungit, errorem, scilicet, & falsitatem, quæ tanta fuit in Apolline, ut librum quendam de mendacijs ipsius ediderit, eundemque de falsitate oraculorum inscripserit.

Ecquis vestrum, Nobilissimi, Clarissimi, & Ornatissimi auditores, qui me de sacra Scripturæ antiquitate & vaticiniorum ejus veritate hæctenus dis-

ORATIO SECUNDA,

ferentem audivistis, adhuc dubitet an ipſus dignitas & certitudo firmissimis demonstrari possit argumentis? Ecquis, cui vel mica pietatis in pectore superest, illius antiquitatem nobiscum non veneretur, veritatem non deosculetur, cæteraque omnia volumina tempore posteriora, veritate inferiora, huic omnibus modis esse postponenda non confiteatur? Ecquis denique vel minimo veritatis zelo præditus eos non reprehendat, qui lubentius scripta profana quàm sacra evolvunt, majorémque dant operam ut poëtarum fabulas, histrionum dramata, Philosophorum argutias, Scholasticorum tricas, Rabbinorum somnia, quàm ut salutaria Prophetarum & Apostolorum dogmata, quæ sola possunt nos sapientes reddere ad salutem, rectè intelligant? Egregij, *scilicet*, illi sunt CHRISTI discipuli, qui sacras negligunt literas quas CHRISTVS jubet ut perpetuò scrutemur, & præclari, *scilicet*, Apostoli Pauli imitatores, qui ea in delicijs habent, quæ ipse præ CHRISTI cognitionis eminentia pro quilibet & stercorebus duxit. O miseros præceptores & discipulos qui majore studio in reliquas disciplinas, quàm in sacrarum literarum lectionem ac meditationem incumbunt! Nec salubris in Jurisconsultis justitia, nec vera in Medicis pietas, nec solida in Philosophis sapientia esse potest, si alias suas scientias ab oraculorum divinorum cognitione & inda-

DE SS. THEOL. CERTITVDINE.

indagatione sejungant. O irrisores non minùs Reipublicæ Christianæ exitiales, quàm pijs omnibus execrabiles, qui effusis omnibus profanæ petulantiaë habenis horrendas suas blasphemias in sacro-sanctas Prophetarum & Apostolorum chartas evomere, earumque veneratores naso adunco suspendere non verecundantur! Quibus ne vos annumerem, ut prohibet charitas qua vos in CHRISTO complector, Nobilissimi, Doctissimi, & Ornatissimi auditores, sic eadem præcipit ut promunere Theologico quo in hac fungor Academia, vos omnes ac singulos orem, moneam & hortor, ne præpostera eorum consilia aut exempla sequamini qui majore animi impetu ad profana & perniciofa, quàm ad sacra & beata studia rapiuntur, sed de antiquitate & veritate sanæ doctrinaë nobis à DEI Prophetis & Apostolis traditaë, quam nostræ Ecclesiæ Christianæ amplectuntur, piè ac serio cogitantes, ipsam divinitus DEI hominibus fuisse inspiratam mecum constanter statuatis, ac quotidie sermoni tam Prophetico, quàm Apostolico tanquam lucernæ in obscuro loco splendenti diligenter attendatis, usquedum perfectæ cognitionis dies illucescat, atque illius lucifer in pectoribus vestris exoriatur. Vbi hanc DEO obedientiam præstiteritis, tum, procul dubio, auctoritas ac reverentia sacraë ipsius Scripturaë debita in nostris Ecclesijs, veritas

F 3

ac pax

ORAT. SEC. DE SS. THEOL. CERTITVD.

ac pax ipsi grata in nostra Academia, tranquillitas
animi vobis salutaris in vestris cordibus, & bene-
dictio nobis à DEO promissa in hac nostra Ba-
tavia per multas ætates permanebit ad Nominis
ipsius gloriam & animarum nostrarum salutem.
Quod meum omen ne avertas, quæso, ô DEVS
ac Pater clementissime, ab hac nostra Academia,
neque a nostris Provincijs & Ecclesijs, sed illud per-
petuò ratum ac firmum in ijs esse velis, pro paterna
tua clementia ac benevolentia qua nos prosequeris
in Filio tuo dilecto DOMINO nostro IESV
CHRISTO, cui tecum & cum Spiritu sancto sit
honus & gloria in sempiternum, AMEN.

F I N I S.

llias
ere-
m
m
m
m
v s
m
m
m
m
v s
m
m
m
m

